





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-180591-p0002-0

DFG

OBSERVATIONES NON NULLAE
CIRCA
MORBOS
NUPERORUM HEIC ALIQUOT ANNORUM
EPIDEMICOS
PER RECIPROCUM AERIS HUMANI ET ATMO-
SPHAERICI COMMERCII ILLUSTRATOS.

QUIBUS
ADITUM APERIT VOLENTIBUS AD SECTIONES
SUAS AEQUE AC DEMONSTRATIONES ANA-
TOMICAS, HUMANISSIMEQUE AD EAS
INVITAT

JOH. JACOB. HUBER.

PHIL. ET MED. D. ANAT. ET CHIRURG. PROF. SERENISS. LANDGRAVII HASSIAE
CONSILIARIUS AULIC. ATQUE ARCHIATER. AULAE BAD. DURLAC.
MEDICUS. FACULT. MED. PATRIAE, QUAE BASILEAE EST,
COLLEGA, ET LABORUM SOCIUS. ACAD. CAESAR.
NAT. CURIOS. ET REG LONDIN. SOCIET.
SCIENT. SODALIS.



Wh 527

CASSELLIS
TYPIS JOH. ECKH. HÜTERI, TYPogr. AUL.

COLLEGIUM S. P. B. G. R. M. N. I. C. A.

425

M. O. R. E. O. S.

MICROGRAPHIA HISTORICO-ANATOMICA

EPIGRAPHICA

EXPLANATIONE HISTORICO-ANATOMICO-EPIGRAPHICO-ARCHAICO-ARTISTICO-

CURIA

AD TITULUM ET INSTITUTIONEM MUNICIPII
CIVITATIS VENETIAE ET ALIA
TERRITORIIS VENETICIS ET ALIA
TERRITORIIS VENETICIS ET ALIA

IN ITALIA


JOH. JACOB. HÜBLER.

HELIOTROPIUM ET HELIOTROPII
COMPARATIONE ET DIFFERENTIA
INTER VARIOUS VITELLINOS ET VITELLINAS
GOLDFILOS ET GOLDFILOM SODIUM ACID. CALCIAS
NUO CURIOSA ET RARE LONDINI DICTA
SCIENTIA SEPARATA



CVSSEPTF12

Tytus Joh. Bern. Hübler. Typograph. A. M.



Varias ac multiplices inter morborum causas locum sibi vindicare non insimum aeris quoque ac tempestatum conditionem, quotidiana fere experientia edocentur etiam, qui rebus medicis ac physicis alioqui teneri non solent, sed observatores non negligentes eorum, quae circa se vident, aliorum exemplis vel suis cauti fieri cupiunt. Maxime vero inter eos constare haec quantum satis est debent, qui corporis ac animi vires, mutuum eorum consensum ac irritabilitates varias probe perpendunt, et ex artis salutaris praecipitis ac naturae conatibus vitia aequae functionum nostrarum ac causas cognoscere, nec non adequatis medelis impugnare eadem student. Quis hominum amicum suum, vel civem alium, aut semet ipsum, corporis viribus imminutis, ac animi dotibus languentem, expertus non est tempestate v. gr. turbida, pluviosa, calida nimis, vel et quando peregrinis gravida nimium corpusculis angit atmosphaera? Subtilioris inprimis texturae homines (utrum ea laxa sit, an stricta nimis, non facile dixero) quos irritari, functionesque eorum turbari leviter etiam ex causa percipimus, hic praecipue sunt referendi, et in primis quoque delicatores mulierculae, prae multis aliis hominibus in consensum a variante aeris conditione facilius ratiuntur.

A

andicat de

piuntur. Cum vero eodem elemento universali, morbi quamvis ex mala ejus temperatura inducantur, carere homo, ne ad brevia quidem temporis momenta possit, ad eas referendus erit res aer, humano generi, nec non rebus aliis, solennes, certe frequentes, quae et profundus usu, et necessariae sunt, eaedem tamen multas simul ac vix evitabiles omnes, mire quidem variantes involvunt alternationes aequae ac pericula. Ideoque HIPPOCRATIS * jam effatum fuit: „causam aerem esse tum vitae mortalibus, tum morborum aegrotis.“ Id in primis quoque valere compertum est de rerum aliarum perfectione ac destructione, ab eodem aere operante pendentibus, modo distinguantur tempora. Ita fructus v. gr. horaei, et quid non aliud? natura sua a solido remotum, pro porositate sua ac mollitie majori, et pro aeris accessu liberiori corruptionem subeunt celerius, quo tamen aere carere ad perfectionem attingendam unumquodque suam minime potuerunt; servantur contra a corruptione succulenti fructus quam diutissime sola aeris externi praeclusione. Et quodnam illud naturae est productum, inter animata in primis entia ac sensitiva, multifariis injuriis a primo existentiae suae rudimento per omnes aetates suas tradita, quod a conservatricibus rebus ac nutritiis iisdem turbari simul ac destrui non sinat provida rerum omnium natura gubernatrix? Nulla cum detur ad perfectionem attingendam et aevum suum absolvendum sine deviatione prope inevitabili, nec sine obstaculis vix levandis omnibus, progressio. Ipsae adeo res divinae ac humanae, in quantum arbitrio hominum sunt permisae, aberrationibus non carent, valde subinde gravibus ac horrendis, perversam hominum conditionem, qua bona sua non satis noscunt, vel recte consulentibus repugnant, intemperato ac pravo rerum usu prodentibus. Ita v. gr. ut aliquot modo exemplis dicta illustrentur, ipsum diuinum illud, quod Deus hominibus ad aeternam ipsis procurandam beatitudinem fortunatumque ambulatoriae quoque vi-

* Libri de statibus.

tae statum concessit, animam nempe seu animum, deflectit
plus nimium videamus a fano rerum usū ac justa facultatum
fiuarum moderatione. Quantum religio, hominum saluti data,
possit suadere malorum, vetus est querela; nonne ipsa salus
generis humani, seu Servator, terror simul est non nullorum?
Quaenam in vitia inducat insōns illa per se prolis generandae
facultas, in salutis ac tranquillitatis publicae ac privatae, in
valētudinis ac vitae adeo destruētricem subinde degenerans ex
perversa ac effrenata libidine, plus satis patet: et nequē sup-
pressa molestiis suis caret. Quae turbae corpori inducuntur
haud raro ac animo, a male temperato usū ac vitio alio sex
rerum, quae in schola Medicorum dicuntur non naturales:
quae sunt (ne quis non Medicus hic adhaerescat) aer, cibus
et potus, motus et quies, somnus et vigilia, excreta et re-
tentā, animi pathemata: satis quoque cognitum est. Ita res
in se et per se optimas et quam maxime salutares, quibus ca-
rere aut plane non aut non facile quis potest, inconstantia
quadam laborare ac noxam ipsum per usum, insontem alias
pro diversa corporis temperatura adferre, satis quoque liquer.
De aere, ad hunc enim est redeundum, speciatim dicamus, cui
homo innatet sicuti aquae pisces, atmospherico nempe, quo
universus cingitur terrestris orbis, et quem multiplices ob fun-
ctiones suas, pro solis respectu ac solennibus anni temperaturis,
multum variantem percipimus, proficuum modo hominibus,
rebusque aliis, modo illis, nec semper iisdem bona praestantem,
nulli quidem terrae producto non summe necessarium.

Universam aeris compagem atque efficaciam heic pertra-
ctare animus non est, cum sit res difficillima, et volumen
omnis descriptio impleret mole non parvum, eam certe, quae
invitatoribus, qualis hic est, libellis ordinaria esse solet, me-
diocritatem quam longissime excedens. Ultra itaque scopus
heic meus non extenditur, quam ad vindicandam et eviden-
tius, quam forte adhuc creditum est, demonstrandam aeris
elastici, et peregrinis corpusculis inguinati intra oeconomiam

C. H. existentiam, unde deinde corporis nostri potentia atmosphaerico aeri resistendi intelligitur; ad consensum hujus cum illo atque commercium reciprocum investigandum; nec non ad consequentias aliquas sive effectus commercii illius, valetudini haud raro noxios indicandos, et quoad ejus licebit, corrigendos.

Cum vero Physiologorum aequa ac Medicorum practicorum, (summa enim est universae medicinae felix praxis clinica) vehementer interesse videatur, vero quam simillima hac de re intelligere, nec tamen adhuc desint magni viri, qui quod affirmandum sumsi illud negent, nulla mihi opportunitas grata non est, ab omni licet rixandi voluntate abhorrenti, suscepitam idonea ratione sententiam ultra defendendi, id est, evidentiorem, et nisi id improbum votum est, ipsis forte adversariis persuadendi, efficiendi certe, ut vix amplius habeant quae regerere velint. At vero omnem denuo proferre heic argumentorum seriem pro stabilienda aeris illius in animali oeconomia necessitate atque functione minime contemnenda, opus non erit: etiam id aetum jam est ex hoc eodem loco, quando *de aere atque electro* * egimus: quo curiosos, si qui sint, alegare satis fuerit.

Jam ut hinc exordiamur dicendum est: omnem illam aeris atmosphaericu congeriem non simplicis fluidi natura donatam esse, quando analysi subjicitur, sed in partes suas, probe distinguendas, plus minus elasticas, vel et igneas, separabilem: praeter multifarias particulas peregrinas, firmas ac fluidas, lucidas aequa ac opacas, exhalationes, vapores, et astrorum

* Opportunus hic est locus, verba, quibus sensus corruptus est, et quae ibi in media pagina 10. exstant, corrigenda; ita sunt legenda: „Quid ergo erit aliud, quod in aqua gelu conglaciata *conficitur*, quando spatium *majus* occupare videmus glaciem quam aquam fluidam, nisi aer?

rum adeo effluvia involventes, quas pro hospitalitate sua omnes recipit et in certos usus servat, subigit, mutat, vel immutatas dimittit. Hospitari in eo h. e. vivere liquido, quoque constat omnes terrae et incolas, et producta ejus quaeviis alia cum effluviis quaecunque suis, et mobilia sua sponte, et non mobilia: siquidem universus globus terrestris non modo natat in aere, sed et intra eum coercetur; et vegetare nihil potest, aut vitam quamcunque accipere, ne quidem acceptam servare, si extra aeris usum constitutum. Quemadmodum enim aquatilibus vivacitas conceditur nulla, vel saltem non perdurans, quando ab elemento suo, ab aqua, sunt semota, ac extra ejus commercium posita: ita ne ipsa quidem haec aquatilia carere posse altero insuper elemento universaliter, rerum omnium pabulo, aere nempe, res est et ratiociniis suffulta, et comprobata experimentis. Amphibiorum structuram et constitutionem ab aquatilibus et a terrestribus animalibus recedere necessum est: quod ad aeris vero usum res eodem reddit, ac dictum est de reliquis. Audiamus denuo HIPPOCRATIS * sententiam, quam laudare loco plurium veterum Auctorum aliorum, ex ore ejus loquentium satis erit: ea ita habet: „Quin et in mari quandam esse spiritus communionem, cuius est manifestum. Neque enim natantia animantia sine spiritu (id est sine aere) vivere possent. Quoniam autem alio pacto cum illo commercium habeant si non per aquam, et ex qua spiritum attraherent? „ Si placet etiam novum audire Philosophum, NEEDHAMUS ** ita sentit: „Veruntamen neque de solis hisce aeris qualitatibus solliciti sumus, ut justa earum temperies ad piscium vitam et sanitatem requiratur. Sed et substantia ipsius nisi aquae copiose immisceatur et perperna successione quasi novo spiritu eandem imprægnet sane actum erit de hisce aquarum incolis. „ adeantur insuper BOYLEUS ***,

A 3

BO-

* loc. cit.

** de formato foetu p. 158.

*** Experiment, nov. physico-mechan. XX, et XXI.

BORELLIUS*, LANCISIUS**, COURTIAL***, MUS-
SCHENBROEK†, ELLER ††, HEBENSTREIT †††, et quot
non alii. Nec interest, utrum animalia sint de quibus dictum
est carere ea aere non posse an producta alia, medii inter
utrumque regnum termini vice fungentia: cum ab omni saltu
abhorrire naturam, contra vero insensibiles amare e regno in
regnum transitus, ac vix dehiscentem rerum servare catenam,
compertum quoque sit.

Subtilissimum cum sit aer, praeter aethera, fluidum ac
levissimum, in omnes agens directiones, sibi relictum spatia
omnia permeans, suminam quoque eidem inesse penetrabilita-
tem vimque insinuandi se in intimos quosvis naturae recessus,
ac immiscendi se particulis aliis facultatem, pneumaticae antliae
experimenta, nullum in animali ac vegetabili regno verum so-
lidum, aeris expers exhibentia, satis confirmare videntur.
Nec minus constat de illo aeris conatu, altissimum semper in-
ter reliqua fluida locum sibi quaerendi: sua quamvis gravitate,
globum terrae proxime ambire et infra aetherem, quocum in-
sensibilem in modum connectitur atque immiscetur, subsidere
cogatur. Jam si cum elastica aeris qualitate, de qua et ipsa
nemo dubitat, solem conjungimus, motuum omnium matrem,
seu calorem quemcunque alium, transitus tunc facilis erit ad
modum aeris agendi et motus impertiendi rebus aliis conci-
piendum. Iners siquidem in perpetuum maneret elastica aeris
facultas, nisi mutata demum temperie, id est, frigoris vel ca-
loris

* de motu animal. P. 2, prop. 173.

** de noxis palud. §. I. Cap. 2.

*** Dissert. physique sur la nature: & propr. de l'air, quam annexuit Observ.
anat. sur les os, p. 196, sq.

† Dissert. de aeris praesentia in humoribus animal. in proœmio,

†† Memoir. de l'Acad. Roj. des Sciences de Berlin, A. 1750, p. 67, sqq. et
inpr. p. 72, ubi exprefse dicit: ainsi l'eau commune est un composé
1) de sa matière primitive glaciale, 2) de l'air, et 3) du feu.

††† Anthropolog. forens. L. I. Cap. 2. §. 10.

loris augmento vel imminutione, per vices vim suam exf-
 rentibus, perciperetur eadem, et manibus quasi palpabilis red-
 deretur; vel etiam quaedam aeris portio extra commercium
 immediatum cum universa atmosphaera fuerit locata; aut pres-
 fione coerceatur, vel vacuo immittatur. Ita enim vitra, post
 aeris immisionem clausa rumpi videmus ab accedente augmen-
 to caloris, et vi diffungi. Cum porro insint univercio aeri
 particulae ignae, electricis experimentis comprobatae, faci-
 lior intellectu erit solis, ignis, motuum, seu caloris alias
 agendi in eum modus: amat enim natura descendere leni
 gradu a similibus ad dissimilia, et ita demum vim commu-
 nicare suam. Et ita a calore demum rectricem quasi manum
 accipere videtur aer ad animanda terrae producta, motumque
 rebus aliis conciliandum, thermometra, barometra, experi-
 mента varia, antiae pneumaticae ope instituta, et quae sint
 aeris vim atque mutationes explorandi instrumenta alia, toti-
 dem possunt esse hujus rei testes. Et quid demum solennes
 quatuor producit anni tempestates illas, intra quas praeter
 plura phaenomena alia salacitas animalibus, plus minus perio-
 dica, aut vaga, ac vix remittens, propagando generi unius-
 cuiusque suo dicata perficitur? intra quas vel omnem absolvit
 vegetabilium non nullorum aetatem, vel certe periodum vitae
 illorum unam, nec non alteram incipi in aliis, si perfici eam
 gelidae noctes inhibent, novimus? Quid vicissitudines, et
 quae ab iis demum pendent variantes singulis fere diebus ac
 horis adeo, caloris ac frigoris gradus? Quid aliud haec quam
 varia aeris moderatio, solis vi recta. Neque enim gravitas
 aeris, neque elasticitas, neque subtilis natura ac penetrabilitas,
 neque qualitates aliae praestare tantum foliae valerent sine sum-
 mo solis imperio: hoc demum elatere motus procuratur re-
 bus omnibus ac expansio. Et quid semini seu tot ovulis
 bombycum, ne a commodo illo recedam exemplo, reliquo-
 rum quoque seminum referente naturam ac adaequate decla-
 rante, primam dat expansionem, augmentum atque vitalita-
 tem adeo, nisi expansus intra ea caloris externi ope aer:
quant-

LXXX

quantumvis exilis sit ejusdem particula, nec sensibus nostris et vix imaginationis vi consequenda. A sole ordinario provenire calorem illum, quo penetrari primo vere omnia incipiunt, non facile quis negabit. Haud infrequenter tamen imitari industria et ars legem eam naturae potest, et ignea temperies alia substitui soli, sicque prolata adhuc evidentius confirmari. Ita nihil impedire videmus, quo minus media hieme vitalitas procurari dictis ovulis possit, in hypocausto modo ponantur eadem calido: tempore quo escam animalculis iis paraverit adhuc anni tempestas nullam. Contra vero si eadem semina munirentur per omnem aestatem a solenni aeris temperie, vel etiam si perclusa forent ab omni aeris commercio, sterilia in aeternum permanerent atque inertia, nec ullum unquam vitalitatis indicium proderent. Hoc itaque in aeterno rerum naturae ministerio aliter fieri vix poterit, nisi ut aerem, eundemque elastica vi praeditum, vel et, quod eodem reddit, ab accidente vi caloris excitatum, rectorem agnoscamus illarum in seminibus evolutionum, nec non excitamentorum id genus aliorum ministrum praecipuum. Quod aliam alia animalium ovula amare intelligimus aeris atque caloris temperiem, v. gr. non siccum omnia sed alia udam, non infringitur inde dicta mox sententia. Vegatabilium semina, radices ac surculos aquosa infuper humiditate indigere sat evidenti, et terrae ordinario committi debere, quotidiana docet experientia: Nullis tamen horum propagandorum primis staminibus deesse poros aereos inde constat, quod sine aere excitari, crescere ac produci nihil scimus. Et Aegyptiis a prima inde antiquitate notus excludendi sine matre ova modus, satis hoc prodit; et oculis nostris consequendos adeo esse poros in volatilium animalium ovis quoque constat: fapor etiam quem ova accipiunt a loco, moram ipsis concedente, ab arca v. gr. lignea, humida, aut escarum multiplicitate impleta, a stramine, foeno, etc. de eo quoque testantur. Inde quoque est, quod ova v. gr. gallinarum oleo vel cera obduci a bonis oeconomicis jubentur, quo aditus intra ea aeris externi, cuius accessu

cessu unice saporis corruptio ac putredo affertur, impediatur: tardo sic usui asservanda. Nonne eadem ob rationem ab aeris aditu fructus horaci servantur, et a corruptione liberantur? et impedito aeris accessu et reciproco commercio aeris interni cum externo liquida varia a molis imminutione simul ac corruptione defenduntur. Maxime quoque spirituosa vina exoticā, oleo superficie vini, lagenis contenti, affundendo servantur: et hoc genus alia. Justam certe is habere caloris ac aeris proprietatum ideam vix videtur, qui perspecta ex modo recensitis ratiociniis ac experimentis, aeris intra ova praesentia, hujusque ac caloris externi necessitate, mutuum ac reciprocum aeris utriusque tam intra ova ac extra illa commercium agnoscere nollet, vel et elasticitatem, calore parandam, in excitandis ovis et vitalitate illis procuranda recusaret. Inducor porro hisce rationibus ad simile, modo gradu longe diversum, aeris ac caloris auxilium agnoscendum in mineralium increascendi modo. Lento tamen ac longe minus perceptibili ea peragi gradu, pro ratione scilicet ipsius incrementi, longe infra lapidis gutta cavati tarditatem concipiendi, liquet.

Quo jam obtentu denegare sibi soli, intimis suis partibus, visceribus, fluidis velit homo similem aeris elastici usum, necessitatē ministerium minime contemnendum: quo excitari partes intimaē et adjuvari universus mechanismus, vires intimaē aliae ac resistendi aeri externo potentia possint, equidem non video. Calculum dedit MEAD *, quanto pondere et quo pressionis discrimine in corpus nostrum agat circumfusus aer: cui dem haec verba subjungit: „Resistit quidem et in pondus illud nititur internus aer per corpus nostrum dispersus. Fieri tamen nequit, quin magnum saepe momentum habeat tam insignis variatio;„ De calculo eodem, deque vi aeris interni in resistendo externo, elegantissime quoque agit MALOUIN **, cum morbos epidem-

* De imperio solis ac lunae in corp. human. p. m. 23, sqq.

** Acad. R. Sc. Parif. A. 1747. p. 563, sqq.

epidemicos traderet. Certe non immerito constituit fluidorum corporis humani trigam LANCSIUS*, aerem, sanguinem atque *succum nerveum*. Si tamen forte quidam accedere huic sententiae, id est evidentibus et magnis aeris effectibus iis, prius nollent, quam ad oculum demonstratae ipsis fuerint viae, aditum aeri ad intimos recessus parantes, sufficere iis posset retorta vis argumentandi: monstrandas illis deferendo vias, in semine bombycum, nec non in vasis hominum aeri, in cadaverum sectionibus nunquam non deprehenso, post mortem patulas, et ex effusione insuper muci e naribus mortuorum ac sanguinis evidenti. Sed et difficile, si unquam possibile negantibus erit, prolata adhuc ratiocinia aequa ac experimenta infringere; vel et substituere aeri aliud quid, commodum aequa, potens, et resistendi universae columnae atmosphaericae vi blanda non minus ac sufficienti praeditum. Quemadmodum enim aer fluidis inest omnibus, id est particulis subtilissimis, tenuissimis, verbo, primis rerum staminibus, facilis illi quoque vis concessa est, non qualis est chalybis elasticis, sed blanda, in particulis, plastica adhuc natura praeditis, si non formandis, certe dirigendis ac moderandis facultas, eo ipso maxima, cum levia primum ducat corpuscula mollia, facile cedentia, ac nutum quasi levem sequentia. Huc ego quoque referrem exhalationum potestatem summan, quam vulgo calori tribuimus, sed a quo excludi non potest humidus aer immistus, qui caloris denum auxilio ad motum excitatur: in vacuo enim exhalatio sit nulla. Quo magis vero committus et immistus intime est aer particulis uidis, ut quam maxime lateat ejus praesentia, eo facilius vias permeare precipitur, quas siccus ac solus accedens vix penetrabit: contra vero hac ipsa latescente natura sua, majoris longe fit efficaciae; et fieri inde quoque illud videmus, ut siccus aer vesicam permeare, vi quamvis maxima pressius, recusat, aqua non item, cui tamen re vera inesse aerem, qui simul transit, satis

* De subitaneis mortibus, in principio Lib. I.

satis jam demonstratum est. Non ergo crassum aut visibilem oculis insinuandi se humoribus corporis humani modum amare aerem, sed lentam penetrationem insensibilem, et ex dictis liquet, et ex dicendis mox magis patebit, ne qua minima aeris puri atque solidi particula extra miscelam humorum intimam ad sanguinem accedat, sicque veneni naturam induat. * Et ita divisum, antequam sanguini committatur, ne noxam illi inferat ullam, concepit quoque MUSSCHENBROEKIUS aerem, et intime humoribus, cibo maxime ac potu subactum ac expansum calore corporis nostri, ne facile aliquot partes prope invicem collectas habeat sanguis; et tectam insuper eam ac dispersam valde aeris in sanguine praesentiam induisse LEEUENHOECKIUM afferit idem, ad aerem intra sanguinem plane negandum. Cautus idem auctor, qui ad stabiliendam aeris elastici in oeconomia animali praesentiam ac praestantiam integrum conscripsit dissertationem, *de aeris praesentia in humoribus animalibus*; et propriis experimentis rem confirmavit, et mutuatis insuper ab aliis, excitavitque observationes de periculorum morborum ac mortis adeo causa, a partibus aliquot aeris in sanguine combinatis orta, vel et copia nimia in corpore collecta. MUSSCHENBROEKII sententiam ipsius hic verbis roborare, quae sub finem capituli secundi exstant, interest: „*Cum enim vidimus aerem inesse quibusvis humoribus quavis aetate, et natura nihil frustra molitur, in certos usus erit revera destinatus, ut in ovo Cap. I. §. 1. Corol. 1. diximus: Cumque aer fluidum sit magnis effectibus praestans idoneum, et major copia juxta Corol. 2. § 9. ita noceat vitae, minor copia requiri mutationibus inducendis par non sit Cap. I. §. 1. Cor. 2. conclusio quod certa ac determinata copia, tum pro varia humorum et solidorum idiosyncrasia, tum pro varia tempestate anni requiritur.* „ Et BAGLIVIUS ** jam inter elegantia

coib

B 2

alia

* Ratiociniis hoc quoque et experimentis affirmat III. SWIETEN, *Comment. in Boerhaavi aphor. T. 2. p. 233.*

** Dissertat. IVta de experimentis circa sanguinem etc.

alia, ad aeris vim atque usum in corpore nostro facientia, monuit: magnam simul non ingredi in sanguinem inspirando aeris copiam, ne ob insignem calorem, quem in partibus reperiret aer, summopere elasticus evaderet, et turbaret potius atque impediret sanguinis circulum quam promoveret. Non ergo facile quisquam agnoscere recusabit, confido, quos graves visibilis aeris portio, animalium sanguini immissa prodat effectus, atroces eosdem ac valde mirificos; et quam abhorreat dictas propter noxas natura a visibili omni ac subitanea aeris cum sanguine miscela. Mirandi eo magis erunt, si qui forte adhuc forent Physiologi, qui conspicere adeo cupiant ipsas sphaerulas aeras in sanguine circumeantes, vel qui * crassa illa ac subitanea, quae de industria fit, aeris immissione intra sanguinis massam, modum insinuandi ac praesentiam adeo omnem evertere conantur: Cum constet quoque ex JOUNGH *Traitise on opium*, lac insontissimum, blandissimum, ac frequen-tissimum alimentum, eupepton, venis animalium immissum veneni vim exhibuisse. Opinionem de praesentia aeris in corpore humano nostram confirmare magis insuper, praeter dicta mox et allegata possent, Tympanitis, Emphysema, absconditi Abscessus, Calculi vix solidi, v. gr. vesiculae felleae, aquae supernatantes: quae omnia sine latente jam et circumlato cum sanguine aere non generarentur. Et ipse adeo magnus BOERHAVIUS, quamvis omni modo eliminare extra corporis humani oeconomiam aerem elasticum conatus fuerat, veram tamen emphysematis aliusve flatu turgidi morbi naturam ita tradidit: ** „manifesto indicio, non ex effusis humoribus, sed ex liberata aliqua elastica aeris simili materie, hos tumores generari.“ ac similes dein profert tumores, a vulneribus male curatis et ab aeris accessu satis non defensis ortos. Ita itaque, qui aerem concedere ideo recusant sanguini, quia non viderint eum me-dios

* HARDERUS *apiar.* p. 114. BOHNIUS *Circul. anatom.* p. 65. et alii,

** vid. III. HALLERI *Comment.* Vol. VI, p. 86.

dios inter sanguinis globulos delatum, crassis nimis ac obtusis
 armis impugnare rem, aliunde invidenter, conantur. Quan-
 do vero inquirere sanguinem ranae vel muris continuaissent
 iidem microscopii ope, qui tantam experimentis adcuratis
 vim jure suo tribuunt, usque dum vita cessisset eorum anima-
 lium, jucundo tunc omnibus, certe veritati studentibus magis
 quam hypothefibus suis innitentibus spectaculo, separate ince-
 dere confexissent, spero, aeris globulos, sine ulla corporis
 laefione praegressa: quam primum nempe humores ex immi-
 nuto vel et pedetentim cessante agitatione ac motu omni dis-
 solvuntur, et leviores particulae a vinculis removentur, seor-
 sim sanguis incedere conspiceretur tunc sine globalorum serie,
 et vacuum certe inane a fagine, detergetur spatium; et si
 attendere cautius dein cuperent, ipsas tunc bullas aeras ro-
 tundas vel oblongas implere spatium illud, quod inane dixi,
 observarent. Eundem in modum vidisse se aerem, mihi nuper
 affirmavit Ill. BRENDELIUS, de dissentibus non modo sed
 et in primis quoque de aegrotis optime meritus. Et HAM-
 BERGERUS*, qui aerem elasticum in globulis sanguinis hae-
 rentem evidenter comprobavit, eundem in modum vidisse
 aeris globulos, ex verbis ejus patet, quando dicit: „Elasti-
 cos esse sanguinis globulos oculis quoque armatis in lacertis aquaticis
 ligatis et morientibus observare licet. Adeatur insuper LANCI-
 SIUS, testis elegantis spectaculi fidissimus quoque **, haec
 sunt ejus verba: „Caeterum meis ego oculis non solum in san-
 guine e venis statim emissio per validam antliam, sed etiam intra
 venas Erinacei terraestris contento aerem consperci, cuius rei experi-
 mentum in nostris anatomicis Capite de Pericardio proposuimus. „
 Audienda quoque est hac in re MALOUINI *** fententia,
 ratiocinii aequae ac experimentis firmata, quando dicit: „Il-
 est

B 3

* Physiolog. p. 28. et schol.

** De motu cord. et aneurism. p. m. 23.

*** Loco supra citat. p. 566.

est rare que le poid de l'air exterieur ne soit pas suffisamment contrebalance par l'air interieur, il arrive plus souvent que le ressort de l'air interieur n'est pas assez repremier par l'air exterieur: c'est en partie ce qui cause la maladie de Siam; on y doit aussi rapporter certaines difficultes de respirer, quelques maladies de vents, et beaucoup d'hemorragies. Mr. Bouguer rapporte qu'il ressentit cet effet sur la montagne de Chimboraco. Mr. Littré, Medecin de la faculté, a obserué dans les Memoires de l'Academie de 1704, que dans ceux qui sont morts d'une perte de sang, de quelque nature qu'elle ait été, il a toujours trouvé plain d'air les vaisseaux qui étoient vides de sang; ce qui vient vrai-semblablement de ce que l'air, étant naturellement comprimé dans les vaisseaux remplis de sang, se developpe, et a la liberté de se rarefier, lorsqu'il y a de l'espace vide dans les vaisseaux par la perte de sang.,,

Sed quid opus est rem evidentem, nec oculos quidem, quando recte tractata est, fugientem, prolixius prosequi? Ne quidem auctoritates impugnare convenit, quae circa vias aeri famulantes longe discrepant: neque enim cibarius canalis defensibus defititus est satis gravibus ac frequentibus, neque pulmonum via pro transitu aeris; neque cutis pori carent suis tutoribus, neque odoratus, neque visus, neque auditus adeo organa. Nec contra res magni laboris foret impugnatores producere, paucos quidem, nec argumentorum, experimentorum, observationum gravia opposentes pondera, qui laudatas vias agnoscere renuunt, et eliminare aerem extra corpus humanum cupiunt; vel et quibus haec vel illa displicet modo via, cum de aliis sint faciliores; aliosve excitare, qui aerem quidem admittunt, sed haesitanter, indeque obscure de eo agunt, et admittunt quasi admittere eum nollent, nec tamen exulem dicere auderent: quando non elasticum eum adesse ajunt, vel certis demum sub circumstantiis talem redditum ac devolutum quasi.

Tantac

Tantae discrepaniae causam quivis inveniet, qui animo persequi velit invisiblem valde insinuandi se aeris in humores nostros modum, ac latentem insuper, quod ad sensus nostros hebetes, non vero quod ad effectum, ejus intra nos existentiam. Hoc insuper corollarii loco quaerere juvabit: unde nam derivare quis vellet corporum omnium, nisi vi alia praepediuntur ab instinctu illo ac conatu naturali, plantarum etiam minimarum, exhalationum egressum extra terrae finum ac directionem radiale? undenam petenda sit illa ambulatoriorum animalium, et in primis cardinalium terrestris globi incolarum, quorum admirationi, explorationi, usui, ac imperio splendidus omnis illae terrae, et quo usque visus pertingat apparatus traditus est, facultas, firmo pede in omni terrae regione incedendi, suo vertice versus sidera directo? quid avibus adsit aerem perscindentibus? quid aquae alumnis, quo pernatare loca omnia, summa, ima, ac media libere possint? quid denique amphibiis afflstat, ad utrumque elementum pro lubitu permeandum? quid pisces necat, quando glacie aqua obducitur? quid denique sit in homine illud universae aeris columnae prementis vi resistens? quanam ratio frigoris ac caloris in humanorum aequa ac animalium, vegetabiliumque corporum effectus, tam evidenter ac magni, ne quid dicam insuper de summa gelu vi, de quo in primis quoque nuperae videantur KRAFFTII Observations *in actis Petropolitanis T. IV.* et quae proferri hoc genus alia insuper possent. At vero consultum magis erit quemcunque, cui dicta adhuc non sufficerent, ablegare ad BOYLEOS, BORELLIOS, BERNOULLIOS, HALESIOS, MARIOTTOS, MUSSCHENBROEKIOS, HAMBERGEROS, aliosve plures pro aere nostro varie militantes.

Ad reciprocum jam aeris externi cum illo intra corpus nostrum agente nexum, proprius intelligendum opportuna magis prae multis aliis exempla non novi, quam ut provocem ad ea quae intra corpus nostrum circumferre proverbio dicimus

mur calendaria, omni subinde thermometro, barometro, hygrometro exactiora, quae a tempestatum mutationibus non sine molestia, summa interdum, in consensum rapi plus facilius intelligimus: dentium modo subsunt vitia, modo pars recentis laesa, aliave olim concussa, aut vulnerata, modo calli, cicatrices, clavi pedum, hysterica ac hypochondriaca passio, hoc genus alia, nullum horum, non tamen semper omni aeris mutatione non excitandum. Magnum dein atmosphaerae in corpus nostrum ac animum adeo imperium pauci hominum non experiuntur, tristi cuius ministerio languor corporis aequae ac animi facultatibus infertur, taedium, ac gravata functionum peractio, omnis alacritatis ac sereni animi expers, quando nempe gravis nos aer premit, vel turbidum coelum experimur: unde atris diebus plus nimiam subinde vexantur homines non nulli, ab atro etiam coelo inductis, licet propriae cuiusque naturae, ejusque quam *id est unigeniti et vocamus partes hic magnas esse non negamus.* Restituta quidem coeli ac aeris serenitate, corporis quoque redire alacritatem ac animi, satis percipimus. Ita ex instantे tempestate pluviosa vel nebulosa, vel calida nimis, maxime quando spissis ac atris nubibus coelum obfuscatur, ac grando cum tonitu ingruit, et fulgere oculi nostri praesertim, et oppressos, anxios, et asthmaticos quasi videmus quotidie homines, vere aegrotantes et cum pulsū vel celeri nimis ac duro, vel et inaequali, aut lento nimium, qualis hysterica hypochondriaca passionem prodere haud raro solet, ex febre, vomitu, diarrhoea, cephalalgia, cardialgia adeo, aliisve veris inde ex morbis laborantes. Agendi modum explanare non facile ausim, sed effectus evidens est. At vero a condensatis nimium humoribus nostris vel expansis ad immitationem thermometrorum, barometrorum aut hygrometrorum in subtilissimis ultimis ac mutationum minimarum eo ipso prae reliquis partibus facile susceptibilibus vasculis, in nervos mox partesve sensibiles alias degeneraturis vel jam degeneratis, miros effectus illos excitari posse, vero, certe probatili quam simillimum

mum mihi ideo quoque videtur, cum ex narratione, ex recordatione veteris etiam historiae, non modo recentis, ex aspectu; verbo: sola ex idea similia morbis, supra indictis phaenomena quam sepiissime producantur. Cur non aeris quoque vis in sensilissimis particulis comparari cum vi ideali posset, aut superare adeo eam putari? Pestis ortum, communicationes, et transitiones e corpore in corpus, e regione una in diffitam aliam, non facile quis sine aeris commercio ac famulante opera intelligere aut explanare velit, nisi qui veterum ac recentiorum Medicorum gravissimorum auctoritates* evertere temere suscipiat. Quod INGRAMIUS anglus nuper fecit: qui, si fideles sunt sensus ejus interpres relationes publicae, contra omnem Medicorum chorum pestem per linteas ac merces alias transferri ad loca sana negat, crassam nimis affirmando pestis materiem, quam quae per cutis poros (ac si aliae faciliores non paterent viae?) intrare sanguinis massam possit; et adscribere eam ideo invult tempestati humidae, noxiae ac suffocanti. Quae autem sit materia illa, humidae ac suffocanti tempestati propria, non explicat; forte metuens, ne contra sententiam suam agnoscere pestilentialia miasmata cogatur, vitae summe extialia, in ipso aere vel genita, vel ab eo aliunde allata; et cum aere, qui veneno illo contaminatus est, corpus permeantia **: quae dein pro natura sua, id est, pro

C

cor-

* HIPPOCRATIS de flatibus, GALENI *Ithag.* libr. et de *differentiis febrium* libr. 40. PRINCIPUM scriptorum MEDICORUM veterum loca varia. Prae multis aliis consulendi hac in re sunt, qui vel inter vapulatos peste viixerunt, ad omnia attenderunt vel et immediatè post displosam pestem, vel alias de ea solide tractaverunt: MERCURIALIS, KIRCHERUS, SYDENHAM, DIEMERBROEK, RIVINUS, MEAD, nec non NEDHAM de format. foet. Cap. VI. de *biolychnio*, atque HEBENSTREIT, Anthropol. for. Sect. I. Cap. 4. Aliquot laudasse satis erit.

** Per terrae motus quoque talia effluvia ac vapores induci, expresse dicit SENECA, *natural. quæst.* Lib. VI. C. 27. WOODWARDUS, *Geogr. physic.* p. m. 171. BAGLIVIUS de terrae motu Rom. opr. p. m. 508, KIRCHERUS, l. cit, p. m. 18. et 418.

corpusculorum noxia indole diverso quoque animalium generi
fiunt funesta, uti vel hominum habitationes devastentur, vel
boves, vel equi, vel oves pereant, vel et atmosphaerae alii,
nec non subinde aquae incolae*. Inde quoque ut ad aver-
tendam pestem aequa ac ad sanandam, maximam semper cu-
ram habuere veteres, in corrigendo aere, et optimum quo-
que effectum consecuti sint in rogis, vel simplicibus, vel aro-
maticis, balsamica virtute auctis; nec non in silvis incensis;
ac suffimentis aliis; vel in ventorum vi, unde quoque defe-
ctu illorum bellica tormenta in auxilium vocarunt **. Expe-
rientiam denique testem habemus, frigore depuratum aerem
tragoeiae finem frequenter imposuisse ***. Talis nuper de-
mum fuit quoque bovillae luis in vicinia exitus. Satis jam
constare, puto, in aere hospitare inquinamenta illa sanguini,
nec non subinde, secundum veterum auctoritatem, minime
contemnendam, spiritibus infensa, miasmatu ideo quoque dicta;
et deferri vel cum ingestis ad sanguinem, vel cum inspirato
aere, pro diversa luis natura ac cauſa, vel utraque, vel aliis in-
super dictis supra viis uti, ad penetrandoſ intimos corporis re-
cessus. Ita odorem serpentum tam esse pullis pestilentem ut
interimat eos, COLUMELLA† jam monuit. Subtilissimam
denique inquinamentorum naturam, quae omnem imaginatio-
nis vim excedit, affirmare, ne Auctores plures allegem, po-
test exemplum valde singulare, quod apud CHARLTONUM ‡‡
a Trincavellio mutuatum, his verbis cum praemissio ratiocinio
exstat: „Ita saepe compertum est, a conclusis, multosque annos re-
servatis

* Hoc affirmantem habemus laudatum mox KIRCHERUM loc. cit. et
WOODWARDUM etiam loco mox citato.

** Elegantia plura, quae hoc spectant, profert N. MASSA Epist. medicinal. 3.

*** Reticere hic mirum, quod animum subiit in lectione PLINII L. VII.
C. 50. non possum; Recte primum dicit: „a meridianis partibus ad
occasum solis pestilentiam semper ire, at vero pergit, „nec unquam fore
aliter nisi hyeme, nec ut ternos excedat menses.”

† de re rustica L. VII. C. V. §. 18.

‡‡ Exercitata Patholog. X. §. 36.

servatis vestimentis, aut lectis infectis, dum jam innoxie contractari posse crederentur, totas familias, imo ex iis tota oppida infecta fuisse. Apud Trincavellium lib. 3. consil. 17. Francazanus narrat, Justinopoli post sevisimam pestem funes, quibus mortui ad sepulchrum deferebantur, post capsam quandam abiectos fuisse; arque ibi per annos 20. aut plures latuisse: quos cum servus loco postea miceret, incidit in pestilentialem febrem, contagioque illius reliqui infecti sunt, ut 10000. homines hac occasione fuerint e vivis sublati.,,

Eadem quoque ratio locum habere videtur in morbis aliis, quos, non tamen sine dissensu in determinandis iis, contagiosos scholae Medicorum jure suo vocant, quosve transfigurationis lex sejungi ab aliis jubet. Referri ideo ad contagiosos morbos vix poterunt ii, sint quamvis ceterum acuti valde ac atrocissimi, ubi praeter inflammationem ac obstructionem partis cuiuscunq; nihil subest purulentiae: sed ii modo, qui corruptione quacunque, aere facile auferenda, virus suum produnt. Quo inprimis pertinere videntur pleraque cutis exanthemata, ex lymphae vitio maxime orta: uti herpes, scabies, tinea, lepra, morbilli, varioli; nec non miliares febres variae, atque inprimis purpura utraque, et hungarica febris; dysenteria; sudores grave olentes; venerea lues; oris exhalationes, narium aut dentium corruptelae, aut vitii alius proditrices, et quae sunt hoc genus alia. Acrimonia enim humorum est, vere purulenta, vel tamen natura ejus simillima, aerem cubiculi inquinans, quae subire vias, supra indicatas hominum vallet, e corpore aegroto in sanum transmigrare, novamque ibi vim exercere potest, eundem in modum ac dictum mox est de pestilentia. Latens tamen ea intra humores nostros natura ac dispositio consulenda quoque est in omni contagiorum genere: qua quis sanus ceteroquin et ab omni adeo malorum humorum suspitione liber, huic illive acrimoniae suscipienda magis prae multis aliis aptus in consensem rapitur facile, except ab aere malas exhalationes, nec digerit eas, sed virium languore, si non ipso morbo contagioso prostermitur. Ita ejus-

ejusdem vi legis p[ro]ae plurimis popularium suorum corripi quam frequentissime aliquem morbo , verbi gratia , venereo constat, non quo impuro magis p[ro]ae confortibus suis usus fuerit concubitu, sed quod sanguine alatur miasmatis venerei susceptibili magis, vel tristi ex haereditatis jure corruptum jam acceperit ac dispositum ab impuris parentibus, pignoribus suis non parcentibus.

Et si forte alicui dicta adhuc de aere tanquam morborum causa frequentissima satis non videntur facere , classicorum colligat ille auctorates: certe non reperiet, quem morbi praeterierint ex aeris vitio oriundi, id est, qui illud Institutionum Medicarum caput de aeris noxia per cibarium canalem, spiracula cutis, narium etc. natura omiserit. Nec cuiquam in hodierna luce dubitare Medico de corpore humano inspirabili secundum HIPPOCRATEM ac exspirabili * licebit: cum de plantarum quoque perspirabili natura constet **. Ipse jam divus COUS a medicamentis extus cuti applicatis internum exspectationi respondentem jam intellexit effectum, et post eum tantum non omnes, a Principibus Medicorum ad nostri aevi scriptores usque , qui mutuatum ab Arabibus acceperunt Mercurii usum externum, ad acrimoniam variam humorum corrigendam. Facere hoc ipsa quoque videntur CARPI, lyncei non minus quam industria seculi sui anatomici principis verba ista ***, quibus magna vis ineat cognitionis: „Apparet tamen quod ad cutim terminentur extrema venarum et arteriarum, et ideo ipsa cutis ponitur porosa et per eos poros eventatur animal:“ Ita quoque compertum est, ex loca ope Tincturae Herb. Nicotianae capillata capitis parte vomitum fuisse infecutum. Ex salivatione porro patent eadem, emplastro de ranis cum Mercurio,

* Qua de re in primis adeundus est diligens Hippocratis interpres KAUU in libro *de perspiratione Hippocratis*. Neque physica hic negligenda est auctoritas, adeatur itaque BOYLEUS *Tentam. porolog. Cap. impr. III.*, ubi plura exstant hoc spectantia.

** videatur BONETUS *Recherches sur l'usage des feuilles dans les plantes*.

*** Quae exstant in *Comment. in Mundinum*, fol. 52, a₂

curio, pedum plantis applicato infecuta: ne quid de antihel-
 minticis, de fäcculis linteis madidis, spiritu vel aceto irrigatis,
 ad infringendos vel motus humorum, vel dolores, extus ap-
 plicatis dicam; neque de vesicatoriorum vi fatis constanti,
 quando repetitis vicibus eidem applicata fuerint loco, et stran-
 guriae causa fiunt et sanguinei iictus. Et quot non experi-
 menta indubia circa hanc rem sunt alia. De electrica adeo
 medicamentorum vi multa promittunt non nulli, et ad expe-
 rientiam testem provocant. Mihi quidem nondum successere
 effectus tales electrici, nisi quos expectare nos imaginationis
 vis aut subito perterritus ac percussus quasi ictu non expecta-
 to animus jubet. Et quid tandem sibi vellent Magistratum
 sedulitas omnis, industria, ac cautiones multiplices, quibus
 cavere student, ne qua via aut modo ullo aer peregrinis ac
 noxiis halitibus inquinatus noxam afferat brutis non minus
 animalibus, ac civibus suis: quando hac quoque in re bene
 consulere saluti ac sanitati populi sui Patres patriae percipimus
 in urbibus, bona politia non carentibus, nisi constaret inter
 omnes de multiplici ac mira insinuandi se animalibus vivis et
 laedendi eadem indole. Ne itaque temere alantur causae mor-
 borum, a sordibus purgatae sint urbes, plateae earum, ne
 corruptione, foetore, impuritateve alia salubritati aeris infensa,
 tarde nimis, nempe percepto demum noxio effectu, mora et
 calore prodito, auferantur; neve colluviarum collectionibus
 urbes pagorum inquinamentis sint pejores; cloacarum cautus
 certe, nisi absconditis ductibus impertiri vivis aquis possunt,
 debet esse defluxus; pecudum majorum cadavera semota sint
 ab urbe, a viis publicis, ab hominum commercio; stagnan-
 tes aquae, malam mephitim exhalantes, et aestiva tempestate
 in uliginosam, si non cadaverosam, facile transeuntes, febrium
 in primis valde malignarum fons atque causa frequentissima;
 ferendae, quoad licebit, non sunt prope urbes ac villas: ma-
 xime vero removendae sunt eae a Magnorum Principum viri-
 dariis, ne qua causa minima salubritas eorum, quae cum pu-
 blica salute conjuncta est, turbetur; a locisve amoenis aliis,

ad recreandum animum confirmandamque valetudinem commendabilibus.

Hos autem impugnare malos aeris incolas, qui nostrae industriae ac potestati sunt subditi, res est sat facilis: remota siquidem causa effectus quoque tollitur. At vero contra eos parare se hostes, quos vitae nostrae pabulum, aer, praeter culpam nostram vi circuli rerum suscipit ac defert, heic exerceri ingenia hominum longum in aevum poterunt.

Ex percepto jam aeris atmosphaerici commercio cum latente illo intra oeconomiam nostram, qui pro calore interno et cor refocillante celebratus jam fuit ab HIPPOCRATE et PRINCIPIBUS veterum Medicorum, nec non recentiorum*, ad effectus illius est transeundum. Vix enim considerabiles nobis forent mutationes, quas aer externus corpori inferre posset, qui intra corpus humanum respondentem non haberet, sed solo tactu suo externo vim omnem exsereret. Praeter enim cutim et emunctoriam ejus functionem turbatam, praeter asperae arteriae ac bronchiorum canaliculos ac folliculos exasperatos vix pars alia corporis humani afficeretur a mutationibus atmosphaerae, quantumvis gravibus. Quum primum vero agnoverimus aeris, nobis insiti mutabilitatem facilem et harmonicam cum aere externo sensibilitatem, eo erimus in perquirendo ac emendando hujus in illum, inque universum corpus mechanismo faciliores ac feliores. Incolis enim suis atmosphaeram a salubritate sua evidenter recedere intelleximus jam ex allegata mox pestiferorum contagiosorumque morborum serie; impuritateve alia evidenti, effectu certe, sin minus determinata semper natura ac modo, facile perceptibili. Sed et minus evidenti etiam indole sua, et variis modis ac mirificis, qui certas adhuc ad regulas non possunt redigi, agere aerem in

* Medicum hic allegasse praeципuum atque Physicum satij erit: MEAD de venenis, p. m. 204. sqq. et MOUSSCHENBROEK Institut. physic. s. 1334.

in valetudinem hominum, nec non in animalia, ac naturas alias, nemo facile negabit. Multis enim modis alterari corpus nostrum ab alterato aere atmosphaericо potest: quando nempe huic vel caloris augmentum accedit vel frigoris, vel humiditatis vel siccitatis; nocent quoque in his mutationes frequentes, maxime vero quae sint subitaneae; nec non ratio habenda est relationis ad corpus nostrum; in primis quoque peccat aer corpusculis peregrinis, quando minus ab iis purgatus est, sive que particulis, quas suscipit pro hospitalitate sua atque ultra deponit, noxam infert; infectari porro corpus nostrum non parum a consueti climatis mutatione potest: quam vis et ipsa mutatio coeli salubrem haud raro afferat aegrotis medelam, prudenter instituta. Exemplis, id est, observationibus rem illustrare intererit. Nisi singulari quodam prematur quis vitiо, perfecta et alaciа prae reliquo anni tempore fruetur valetudine, quando simul et consueti aeris tempestas moderata fuerit, pura, ventis nimium non agitata, (justa enim ventorum perflatione aerem depurari compertum quoque est) talisque ad spatium aliquod persistiterit; in quatuor anni temporibus sat placidi fuerint transitus, et ab omni gravi saltu alieni. Ab hoc perfectionis puncto decidere jam quo magis moderatam aeris naturam videmus, eo quoque mutationes corporis nostri solent esse evidentiores, et functiones ejus turbatae magis.

Eae jam fuere ab aliquot retro annis coeli vicissitudines, quae ad brevia intervalla totidem diversas referebant facies, ut nec hiems suam haberet temperaturam, constantem satis; nec aestas; et vix intermediae his tempestates: sed alternis ac velocibus saepius mutationibus brevibus omnes fere annus suas quasi aetates absolverit. Quando enim hiemali temperie juxta non succurrunt venti boreales, neque nivium floccis nec sereno gelidoque coelo ab inquinamentis liberatur aer: purgatus ac emendatus primo vere non erit, veternosis potius, ut ita dicam, et mali moris incolis novi, exhalationum jure accedunt

cedunt cives, qui mora nimia, calore, ac miscela varia alienam noxiā augent naturam. Opportune itaque subvenisse nobis videtur mupera hiems, constanti satis tenore gelida, nivis copia ac coeli serenitate, depuratoque his rebus aere commendabilis.

Considerandae jam veniunt quas praegressi aliquot anni obtulerunt noxiā illae, ut plus semel observatum est, tempestates calido humidae: ab omni Principum Medicorum veritate et experientia relatae sunt tempestates hae inter infensas corpori humano, sed modus nocendi minus est apertus. Tentemus explicationem. Ex dictis supra patere confido, faciliorem esse particularum in aere hospitantium, seu ipsius aeris intra corporis nostri poros penetrabilitatem, humido quam sicco; neque vegetationi atque incremento plantarum convenientem magis novimus tempestatem, quam humido-calidam: qua, eadem fere ratione, qua in corpus se nostrum insinuat aer, augmentur alunturque omnia; peregrinis dein corpusculis suscipiendis magis aptum est corpus nostrum, justo frigore per hiemem non roboratum, sed flaccidum ab humido aere ac minus frigido: unde porro sit, uti nec ad resistendum injuriis illis, nec ad digerendas, nec ad ultro propellendas easdem sine noxae illatae vestigio ita habiles tunc sint homines. Fons hic praecipuus atque origo videtur morborum vel epidemice grassantium, vel endemiorum: quāmvis ex causa una eademque in diversis regionibus, tamen præterea pro diversitate individuali hominum, varie vexari valeditudinem posse patet; singularesque in variis excitari inde morbos; neque symptomatum aut curae discrimen nullum esse. Sunt insuper quaedam aeris vitia huic illive corporis nostri parti infensa magis, ut capiti, oculis, (quod hujus quoque anni primo vere haud pauci civium nostrorum experti sunt) vel auribus, dentibus, faucibus, pulmoni, articulis, membranis aliis, cuti, vel ipsis adeo nervis, etc. unde epidemicae illae cephalalgiae, integræ vel dimidiatae, ophthalmiae, otalgiae, odon-

odontalgiae, anginac, tusses, asthmata, vel et inflammatoriae adeo stases thoracis, rheumatismi, arthritides, efflorescentiae cutis variae, nervorum morbi, praeter irritatorios alii, spirituum quasi naturam ac functionem turbantes; et quos narrare morbos omnes longum foret, certis demum sub anni tempestatibus ac aberrationibus solennes, multum tamen singulos fere per annos variantes.

Cujusnam autem sint naturae particulae illae, quas corpus ab aere accipit, huic illive parti inimicae; quaeve sint earum antidota, definire praecise nemo adhuc suscepit, nec facile prius suscipiet, quam feliciores longe sumus in pestilentialis febris aliorumque malignorum morborum cura, quam adhuc datum est. Hoc interim apertum videtur, malignitatem aliam huic, alteri aliam parti inferi, quae vel crassos reddat humores, vel acres, vel inflammatorias stases producat, et quae sunt hoc genus alia. Generali nomine arsenicales, fulphureae, uliginosae audiunt, et quae sunt nomina alia: vim autem eorum summam nec non subinde velocissimam singulifere docent dies. Cum dein ex aeris vitio plures morbo uno eodemque infestantur homines, nec tamen omnes succumbunt eidem, individualis inde dispositio hominum intelligi quam evidentissime potest, et habituales quasi morbi, eam visceris unius vel alterius debilitatem prodentes, quae a peregrinis intus hospitibus facile in consensum rapiatur et ad irritationem prona sit; vel et emunctiorum viae libiores aliae, a prima juventute expellere hostem consuetae: ut aliis cutis vitia sunt frequentiora, aliis pectoris, et quae sunt aliae propriae unicuique homini debilitates, indeque pendentia vitia.

Quos autem frequentissime ab his aliquot retro annis animadverti morbos, febres fuere catarrhales, cum doloribus arthriticis, vagis tum fixis quoque; cutis efflorescentiae varii generis, obstinatae subinde ac adulst quoque corripientes, quos pueris modo solennes esse ordinario scimus; punctorii

dolores, qui praecordia atque hypochondria infestabant, et pleuritides, quae peripneumonias ac paraphrenitides referrent: ab omni vero morborum acutorum signo, a pulsu, urina, caloreve petito alieni. Et sicuti infantes circa autunnales atque ultimos anni 1754. menses epilepticis insultibus haud infrequenter fuere vexati, ita pueri artuum tumoribus arthriticis cum doloribus acutis, ac veram non nunquam paralysin partium comitantibus, tenebantur, sine tamen omni febre variolosa tunc grassante. Ita alios in vigore aetatis lypothymiae ac convulsiones, certe spasmi, maxime hysterici, nec non rigores partium ac atroces cephalalgiae tentarunt. Per variantem valde annorum 1752. et --53. tempestatem, ubi hiemalibus mensibus vix substitut frigus, et Zephiri cum tempestate subfrigida ac humida aera perlabant frequenter, nives fuere vix sufficentes, ver calidum ac humidum nimis erat, tutae minus fuere valeditudes: unde ver, hiemis atque autumnus plurimos opprescit, et febres in primis catarrhales grassabantur, praeter intermitentes alias, cephalae, arthritici dolores, vagi pariter ac fixiores, exanthemata, scabies, tineae et herpetes; quos autem efflorescentiae corripuerant, ii tuti erant ab omni articulorum dolore. Observare idem in pueris licebat, a tuffi, quae ab his retro mensibus VIII. grassabatur, correptis. Quos autem a primo vere anni 1753. adusque hemales menses frequentes magis animadvertisi morbos, haemorrhagiae fuere narium aequae ac uteri, nec non ipsi adeo abortus, vix tamen ac non nisi rarissime funesti exitus; et ipsae quoque frequentes tunc temporis fuere inflammatoriae putridaeque febres; ac vermes, per alvum vel et per os expulsi, adulis quoque, praeterquam quod pueros vexabant, infensi; et cholera morbus, paucos tamen interemerunt. Et ne quidem variolae in 5. ultimos anni 1753. et 2. priores anni 1754. incidentes nisi paucissimos e vivis eripuere. Circa autunnum anni 1754. ea fuerat mala ac pluviosa tempestas, qua non pauci catarrho corriperentur, medium aetatem vix aliquantum egressi homines; vel cephalalgia; sed et subitaneam mortem paucos aliquos suffocativo ex catarrho vel

vel vera apoplexia vivis eripuisse, notatu dignum est. Non ego inauditos heic morbos eos graves ac atroces dixerim: sed qui subito rapiant homines, eos ajo raros heic Dei virtute esse. Rediere denuo circa primum ver anni 1755. hi iidem mox nominati morbi atroces recrudescente, ut ita dicam, post gelidam hiemem aere, humidam denuo et mire variantem, maxime quod ad calorem, induente naturam, et nimium justo blandiorem. Magna inter eos est affinitas, subitaneos cum referant impetus, sine ulla praemonente ne comitante quidem febre acuta, et sine pulsus acceleratione, nervos laesos esse omnis suadet et experientia et doctrina de morbis: ut viscidae ac acris materiei effusionem in vias aeris in catarrho factam subito, quam accusare solent Medici, percipere difficile mihi quidem videatur: cum nulla in cute fiat vel levissima efflorescentia, ne quid dicam de morbillis, variolis, et quae sunt hoc genus alia, sine aucto humorum motu, vere febrili pulsu facile explorando. Ita et in apoplectis insultibus febris adest plerumque nulla: sed vitium omne cadit in nervos, quibus affectis pro nobilitate sua vel functionum animalium laesiones consequuntur, vel quando totalis est apoplexia, vitales insimul omnes prosternuntur, vel ubi in sensuum motuumve nervos vis morbi determinatur, linguae, artuum, aut partis alias paralysis exsistit. Eadem ratio esse videretur catarrhi suffocativi: quando in eo eundem, puto, in modum, ac constat de apoplexia, pneumonicos nervos irritatos ac laesos agnoscimus, quare pro functione cardinali sua subito ac graviter affliguntur quoque aegroti, uti haud infrequenter omnis eludatur Aesculapii medela. Non tamen de omni catarrhi aut apoplexiae genere, a causa quacunque demum orto, valere haec, boni qui sunt rerum interpretes, intelligent facile, non de sanguineo, seroso, pituitoso, aliove morbo, febrilis genii, tempestate quacunque irruente, singulari ex aeris vitio nervis non infesto.

Blanda illa justo nimis circa finem anni 1754, ac humida tempestate, quae rigidam praecessit hiemem, puerilem ac

infantilem prae reliquis aetatem vexatam fuisse, et subito subinde prostrataam, veri niam frequenter prodebat morbi ex viscido orti, pectus imprimis prae partibus aliis, praeter tamen stragem capitalem infestantes. Per ipsam autem gelidam hiemem, ubi serenum plerumque erat coelum, vel nive sat abundantier defluente gravidum, id se singulare obtulit, quod arthriticis imprimis corporibus frequentes fuere dolores, fixi aequi ac vagi, non in adultis modo, sed et, quod rarius alias accidere solet, in pueris quoque observati. Non quod vacare hiemem hanc morbis omnibus dicam praeter nominatos aliis, maxime inter homines inopia aut imprudencia in arcendo gelu non fatis cautos: eminere tamen acutos tum morbos, aliosve mali moris non animadvertisimus; et in universum copia aegrotorum longe fuerat minor, ac alias solenne his est temporibus. Amica sat ea valetudini tempestas, gelu quamvis valde rigida ab initio anni --55. ad usque finem mens. Februarii perduravit, nec quos morbos comites habuit praeter tussim, ob rigidas nimis ac ficas a frigore sicco vias aeris ad pulmones ortam: non vero clangosam aliquam in modum funestam, sed mitem valde, quae sola plerumque dieta facile compescebatur.

Quum primum vero mense Aprili ea succederet tempestatis alternatio, justos excedens vicestudinum gradus, et calorem canicularibus diebus solennem mox exferens, moxque in vernalem, ne quid amplius dicam, tempore regressa, acuti insequebantur pedissequi morbi frequentes; atque cephalalgiae atroces, simplices vel et vertiginosae; nec non tussis genus longe aliud, ac mox dictum fuit: spastica nempe ea ac convulviva, rarius tamen vere clangosa, sed in febrem degenerans, quando nimii fuere bronchiorum primarum viarum infarctus viscidi humoris, quam qui cederent artis auxiliis, continuam putridam: qua plurimi interimebantur intra paucas hebdomadas infantes. Qui vero resistere vi morbi valuere adaequatis remedii adjuti, hos per duos tresve menses et ultra vexa-

vexatos, sine tamen considerabili febre perdurans tussis detinuit, atque servavit. Periodicam adeo in aliis animadverti eandem, maxime qua infantes opprimerentur unius ac alterius anni, nec non infra annum natum; et tunc certam singulis diebus ad horam, plerumque ad XIIiam, vel XIam, vel VIIIam antemeridianam recrudescet, et febrium instar remittentium servabat typum. Eae dein ante aestivum tempus frequentes coeli longe saepius pluviosi vicissitudines, graves valde, aeri denuo vitiosam induxisse indolem, praeter adultos pueris maxime infensam, inde constare satis videtur, cum vix essent horum, qui liberi a tussi, alia humorum peregrina indole non vexarentur, quae acrimonia vulgo audit: unde herpes; exanthemata varia circa nucham, aures vel ipsam adeo faciem occupantes; tinea; magnae subinde hydatides, circa furas ac pedem infimum, late haud raro expansae fuere frequentes; nec non purpura inprimis alba. Levi tamen morbi hi omnes manu se medica sinebantur duci, periculum adferentes ullum. Adulti contra homines, vel et mediae aetatis cholera (de pleuritide, cum tamen et haec rara esset, ac intermittentibus febribus primo veri ac aestati propriis, sermo heic non est) decumbebant morbo circa finem mensis Junii ac ineuntem Julium, neque tamen valde frequenti adeo, neque metuendo illo. Patere tamen inde apparet, malum hunc aeris morem, et hunc et priores morbos excitasse, hoc tamen cum discrimine probe observando; in pueris liberiorem invenisse escam, malignis corpusculis gravidam, aditum ad sanguinem, frequentius ac majus cum esse his opporteat nutrientum, contra in adultis suam jam exercuisse in primis viis malignitatem.

Eam vero heic intactam praeterire Classicorum de cholera sententiam vix possum, qui vitiatam in primis accusare in hoc morbo solent bilem, vel et abundantem nimis, unde nomen habet et biliaris morbus audit: quando nempe copia ejus per os aequae ejicitur ac per inferiora. Ipsas vero tunc anxias ventriculi agitationes, ab inquinato et per os, vehiculi genere

genere quoconque ingestu aere excitari, magis placet, quo sursum deorsumque expelluntur contenta, quam bilem accusare; maxime cum motu denum illo vehementi ac spastico ventriculi proliciatur bilis, et ne quidem semper bilis exeat. Accedit illud, quod in aliis vomitibus, arte vel morbo alio productis, bilem simul excerni quam frequentissime videamus, ubi suspicio est morbi biliosi nulla. Itaque quae dicta sunt de causa cholerae, in aeris vitio longe saepius quam in bile deprehendenda, ea similia vero magis mihi quidem videntur, (non tamen ut omnem eludere idiopathicae vel et symptomaticae cholerae causam aliam velim) cum ab aliis hominibus, maxime quibus non ita facilis aut frequens est canalis cibariorum turbatio, bona concoctione vel subigantur, et ultra sine turba omni pellantur, quae noxia hauserit gula; vel et quando ad ipsam sanguinis massam jam fuerint delata, et indicatorum mox (pro diversa partium cujusque individui dispositione) morborum sub specie prodantur; vel denum per filtra quaecunque extra corpus fuerint eliminata praeter omne noxae vestigium.

In principio et medio Julio summus fuerat cum coelo sereno calor; circa finem vero ejus et in principio Augusti usque ad finem mensis (ab uno altero die si discesseris) non modo non calida, sed frigida adeo erat tempesta, calefaciendis hypocaustis proxima, cum pluvia fere indesinenti. Inde quoque et tussis infantes ac pueros denuo infestare coepit, uti et catarrhales febres. In fine mensi Septembri atque principio Octobris calido-humidam denuo tempestatem ac valde variante catarrhales comitantur febres, cum pulsu celeri ac subtiliente haud raro, multum tamen variantes, saepius petechiarum formam referentes, uti a purpura vix recederent, vel et vomitu aut diarrhoea exacerbatae, vel cum angina notha, aphtharumque eruptione, nec non subinde cum stranguria implicatae *, rarissime vero exitus funesti.

Nisi

* Convenire cum febre catarrhalii maligna petechizante videntur, quas JUNCKERUS indicit in *Conspectus Medicinae pract.* p. 581.

Nisi vero indulgere nimium aliis videar aeri, in ipso corpore haerenti, ac functionibus oeconomiae nostrae famulant, illud insuper ex affinitate argumenti proferre corporis nostri vitium lubet, quando deficere harmonica aeris, intus contenti proportio videtur cum reliquis fluidis, et ejus vel defectu peccatur vel abundantia: quo haud raro referendos esse morbos moris praeter evidentem causam aliam maligni, arbitror. Quod in nervorum vitio latere subinde dicimus, quando verbi gratia in febribus, quod haud raro observavi, inter acutos, intermittentes, ac catarrhales medianam quandam deprehendimus naturam, ubi sine pulsu forti, inaequali, celeri, pleno, febris tamen aderat cum animi atque corporis prostratione continua, vires pedentim insumens, usque dum placida plerumque mors insequeretur, sine ulla cutis efflorescentia, sine siti magna, sine punctorio dolore partis ullius; vix subinde languescitibus evacuationibus alvinis, aliisve. De vertigine alii conquerebantur, de doloribus vagis alii. Et id porro singulare habent morbi ii, seu aegroti, quod omnis eludatur remediorum vis: cum nec quidquam vel alterantia mutare expertus fuerim pharmaca, neque temperantia, neque venae sectiones in aliis institutae, in aliis praetermissae turbasse aliquid vel correxisse mihi visae sint, sed lento gradu, quem, uti mox monui, vix accelerare ac vix infringere valebant remedia quaecunque, omnia procedant, metum ab initio ostendentes nullum, vim tamen suam intra 10. 15. vel et 20. dies ac vix ultra, nulla servata crisi, nulla determinationis ac certa decretoria die, absolvunt. Anomalias tales, malignas valde, et certas ad regulas artis nondum, quod ad mihi quidem cognitum est, redigi se patientes febres plus semel animadverti, et id maxime tum, quando ex subitanis frequentibus atmosphaericis aeris seu tempestatum vicissitudinibus, vel catarrhali alii homines febre correpti fuerint, vel cephalea, aliove ex dictis supra morbis, maxime exanthematicis quoque; vel et quando praeter omne tempestatis vitium clandestina perdurans per aliquot jam tempus animi inquietudo, ab ira, tristitia, et nostalgia

gia adeo praecesserit. Si quis referre morbum talem ad nervorum morbos mallet, singulares eosdem, ac raros, a spastis, convulsivis, tremulis, dolorificis, verbo, evidentiorem partium aegritudinem, vel dolorem comitantibus probe sejungendos, non intercesserim, sed eo accedam libentius, cum illud aeris vitium in minutissimis particulis latere et abscondita hostilitate sua cuniculos magis agere, quam apperte oppugnare corpus videatur, noxam inde adferens majorem, remedia contra eludens audacius, quo refederit a pharmacorum accessu in capillaribus ultimis vasculis tutius. In aliis siquidem nervorum morbis, a quibus differre ratione symptomatum quoque vix videntur morbi lymphae, subtilissimis ipfi quoque vasculis inhaerentes, vix justo acceleratior animadvertisit humorum in gyrum motus, uti nec haurire ex pulsu exercitatus in arte Medicus cupiat indicationem ullam, nisi quam placidus suggestere posset pulsus, verbi gratia, in hypochondriacis, hysterics, podagrīcīs, vel ex his mixtis morbis. Et ita hemi-crana atroci, cephalalgia, vel spastico aut convulsivo morbo alio, ab epilepticis vel et apoplepticis adeo insultibus parum subinde recedente oppressos haud raro videmus aegros sine pulsus augmento.

Certe plantarum, indeque natorum fructuum indoles, vis, habitus, universaque natura certis modo terrae regionibus propriae, in diffisis diffimiles; nec non animata reliqua, suo sub coelo perfectionem acquirentia longe majorem ac in regionibus aliis, a climate sibi proprio remotis, facere pro dicto mox harmonico atmosphaerae cum terrae productis consensu possent, sic tamen ut praeterire soli ac solis nolim naturam. Ita quoque ex ablata vel certe infraacta vi aeris externi modus intelligitur facile accelerandorum, verbi gratia, asparagorum atque mole augendorem, quando vaginosis operculis muniuntur, sicque infringitur pressio atmosphaericī aeris, vel, quod eodemredit, aer intus plantae insitus, incrementum plurimum adjuvans, augetur: uti et in hibernaculis hac quoque ex ratione in

in partem succurri augmento plantarum, arbitror. Ita etiam, praeter incommoda alia consuetudini adversa, difficile est calidaram regionum incolis boreales habitare terras, et vice versa. Proportionata certe, et certis quasi nationibus propria aeris, quo munitus est, et quem secum intus vehit quivis homo, portio atmospherae suae, id est, pressioni, cui subest unumquodque individuum, adaequata intelligi inde poterit quam commodissime. Optimum contra morbos dictos jam nervorum, lymphae, atque disproportionis aeris remedium, aeris mutatio erit et peregrinatio in levius depuratumque coelum.

Proximo ab his morbis gradu collocandus videtur ille harmonicae proportionis animam inter atque corpus defectus, quem percipere attenti longe saepius poterunt, ac forte putatur. Haud raro enim observatur stupendis ingenii debile corpus parere: et contra, sensus internos ac universas animi functiones superari ab externis; et robustiores esse interdum partes motuum, quam sensuum; aut vice versa. Sicuti et secretionum vias alias aliis esse liberiores ac faciliores, ipsamque inde partem secretam copiosiorem, in comperto est; vel alium hominem plus, verbi gratia, bilis suppeditare chylificationis negotio, alium minus; ita et salacitatis diversitas observatur; vigorisque corporis pariter et ingenii; de quo in paedagogiis unusquisque fere dies exempla offert luculentissima: quando puerorum aliis artibus aliis aptus magis deprehenditur, alias literarum studiis; et quae sexcenta scopo nostro convenientia excitari possent exempla. Quid ergo impedit, quo minus auctam in capitibus quoque cavitate, partium cardinalium officina, vel immunitam copiam secreti liquidi agnoscamus; vel indolem ejus sustineamus; universamve sensorum communis functionem, a causa plus minus evidenti, vel labefactatam, vel ad excessum usque auctam.

E

Nemo

Nemo fere non praecocis pueris , ac qui animi dotibus excellunt , longaevitatem , ne adultam quidem aetatem praesagire solet , sed brevem valde vitam : et hoc non sine experientiae testimonio haud infrequent . Ipsum denique brachii dextri plerumque prae sinistro robur , vel etiam ambidextri vis aequalis , ac ea tandem exempla , ubi hebetato ac vitiato sensu uno , alter deprehenditur eo exquisitior , verbi gratia , in coecorum tactu etc. roborare insuper sententiam valebunt de harmonica partium virtute , deque facili alteratione ejus , ac translatione adeo unius in alteram . Non facere heic ignotus nobis modus debet , secundum quem ea peragantur , ut negemus factum , neque ingens succurrendi harmonico tali vitio difficultas : Nondum enim omnis aetati nostrae reiectus est naturae peplus , nec dum tantum tribuere sibi Medici debent et arti suae , ac si auferre omnia vellent incommoda . Curare quidem ipsis licebit omnia , sed non tollere ; ne in alterum saepius vitium irruant , et obstinate nimis succurrendo parti uni , universae oeconomiae animali turbationem inferant , haud subinde levem , sic facere ut si quis pro fusco oculo coeruleum procurare arte vellet ; suris ac lacertis elegantiam , vel mentum , nafum , plus minusve eminere jubere : et quae sunt hoc genus alia . Plura quidem mala corriger ac praecavere ; bonas item conservare constitutiones , suggerit ars , humano generi salutaris , bene cognita , et caute adhibita : at vero plura intacta haud raro relinquere jubet ars eadem , et prudentia et religio . Ita in morbo hocce nostro quae juvent , dicenda non habeo , ne quidem peregrinatio multum praefstat .

Quando jam accedimus proprius ad ipsam dictorum adhuc morborum curam , denuo monendum est , mire haud raro euandi Medicos a singulari aeris vitio , cum nec Physicorum nec Mathematicorum universus chorus sufficeret ad effluviorum , ab aere pro diversa coeli temperatura receptorum copiam aequem ac naturam determinandam ; neque adeo ad effectus eorum in corpus nostrum varios ac multiplices ; multum quoque variantes ,

tes, regulis artis subigendos. De hoc autem constare magis videtur: aerem vel *a*) caloris, frigoris, humoris, siccitatis, gravitatis, levitatis justam excedere posse temperaturam, ipsaque inconstantia vitiari; vel *b*) ex vitiata relatione et proportione harmonica cum interno, id est, in ipso corpore humano reagente, agere; vel *c*) ipsa diathesi sua peccare, huic illicive corporis parti inimica. Ea dein animadvertisenda probe est symptomatum ac morborum diversitas tum aliorum, tum qui ex aeris vitio epidemici vel et sporadici sunt, quae pro parte affecta variare multum solet. Non enim semper pro gradu stagnantium humorum, vel inflammatoriae obstructionis vehementia, morbus quoque gravis erit, neque acutus, neque dolor acerbus, aliave symptomata dira erunt: cum haec pro partis sensibilitate variare animadvertamus. Graves inde ac ampliae in interstitiis musculorum formari pedetentim possunt stases, inflammationes, infarctus varii, apostemata adeo, sine praegressa febre acuta. In tunica quoque oculi albuginea nigrae subinde oriuntur inflammationes, sine ullo acutae febris signo; in infarctibus adeo pulmonis, hepatis, lienis, minor longe est dolor ac esse solet tunicis ejus extimis laesis, et mitiores longe sequelae. Certe in his, similibusque casibus ultra non facile repit affectio quam est pars laesa. Contra vero ubi partes sensibiles valde fuerint laesae, universa haud raro oeconomia turbatur: quales turbas excitari a gravido subinde utero, vel et juste non purgato, aliave ratione irritato, res est notissima; nota item hypochondriacorum symptomata. Ita ab irritato yi panaritii extremo digito manum, universumque brachium subinde inflari, inflammari, et in sphacelum adeo abire; eundemque in modum pedem, non extimum modo sed et supremum corrumpi a clavo pedum, incaute tractato, juste nisi sedata fuerit irritatio, et vitam adeo periclitari, compertum est. Neque latere diu inflammationes solent pleurae, dia phragmatis, universive canalis cibarii, itemque meningum, testiculorum, partiumque aliarum, quae vel functione sua cardinali, vel actione indesinente, vel sensibilitate sibi prae mul-

E 201 A 1770

tis alias propria irritantur facile, ac in consensum rapiunt alias, ab iisque rapiuntur: sed magna tunc est symptomatum acerbitas.

Scire jam multum interest, quomodo exordienda sit cura horum morborum, sive demum pars a morbosa longe disfita excitetur subito et sine pulsus alteratione, id est, ex nervorum consenu ac irritatione, quando, verbi gratia, vomitus sine ullo stomachi vitio ab inficta leviter in oculum manu, vel tamen vomendi conatus, uti in delicioribus mulierculis animadverti, prolicitur; vel hemicrania, miraeve irritationes aliae ab hysterica passione excitantur; sive demum vicinae partes ac pedetentim remotiores quoque evidentem post humorum motum turbatum, tumore, obstructione periculosa, aliisve symptomatibus laesae fuerint ab irritata parte sensibili alia; cum, verbi gratia, in panaritio aut clavo vel periostium vel et tendines, aut articulatoria capsula laesae fuerint; indeque dicta supra dira symptomata ortum habeant; mitigandae ante omnia erunt excitatae partes, quae aliarum functiones modo quoque turbant. Et sic in clavo pedum seu panaritio, ne a commodo hocce recedam exemplo, mitigantibus blandis prius pugnandum est, antequam dispellentia adhibeantur fortiora: ne ultra serpat malum, neve stimulo aucto pertimescendum valde et lethale adeo fiat.

In muscularum obstructionibus, cum nullam fibram minutissimam sine nervo agere posse, receptum sit, mitigationibus earum opus minus erit, sat quamvis gravis ingruat inflammatio, vel et abscessus. De his autem Chirurgi consulendi in primis erunt, quamvis aliae non admittantur in chirurgica morborum cura leges, ac in medica. Ad nostrum scopum facit in primis BAGLIVII sententia, qui ita probe attendit ad sensitatem partium, uti universum caput de irritatione solidorum conscripsit *: ubi in primis illi cautioni in cura morbo-

* de fibra motrice, L. I. C. XI.

rum insistendum jubet, ut morbos tollatur irritatio opiatis, anodynis, oleosis, etc. mitiganda. In principio ita monet: „Si quis animum advertat ad dolorem quando partem aliquam vehementer affligit, videbit statim doloris causa turbari universum systema solidorum, et fluidorum in parte dolente, et consensione quaedam in partibus etiam remotis.“ Eas, quas BAGLIVIUS fibrarum crispaturas vocat irritationes, BARTHOL. de MOOR doloris nomine * exprimit: quo excitari dicit sanguinis et spirituum motus inordinatos, convulsiones ac epilepsias; atque porro dicit **: „quanto dolor est vehementior, quanto partes affectae magis sensiles, tanto citius et gravius potest succedere convulsio.“ WILLISIUS plura quoque ab irritatione deduxit, ubi de morbis convulsivis agit, et in primis hysteriarum symptomata varia inde explicavit. Praetereundum heic non erit GLISSONII *** integrum caput de irritabilitate fibrarum, ubi multae habentur divisiones irritabilitatum, ac subdivisiones. Et ex Demetrii ore COELIUS AURELIANUS † ad sensibilitatem partium jam attendit in tremore. Sed quid opus est tantis auctoritatibus, cum satis constet pro hodierna luce de varia partium diversarum irritabilitate, deque symptomatum inde pendentium discordantia. Denuo monere fatis heic erit, multum lucis inde affiri atque consilii in medica aequa ac chirurgica aegritudinum administratione. Insimul tamen probe tenendum: noxam non semper inferri oeconomiae nostrae irritationibus iis, cum haud raro excitetur iisdem natura ad ministram manum porrigendam, et ad hostem insitum expellendum, vel et salutares motus propuliendos. Eundem, verbi gratia, in modum primam fieri infantis mox nati respirationem, autumare recte BORELLUS ‡‡ mihi quidem videtur, ab excitato nempe ipso in partu doloris

E3

st.

* Patholog. Cerebri, C. XV. p. m. 463.

** Cap. XI. p. 344.

*** in Tractatu de ventriculo et intestinis.

† de morbis acutis, L. 3. C. 7.

‡‡ de motu animal. P. 2. Propos. 117.

stimulo. Ita quoque ipse foetus expellitur, alvinae feces, urina, et quot non aliae partes ad actiones incitantur multis modis salutares. Ea itaque adhibenda quoque est in omni morborum cura attentio, ne nimii simus in mitigandis motibus ac irritationibus, sed dignoscamus probe quid sit in iis salutare, quid noxiū: ne tardi simus in hoc sedando, nec contra proni nimis in illo refrenando. In his enim probe dirimendis, adjuvandis, vel supprimendis praecipuus vertitur felicis praxeos clinicae cardo: ne perversa eorum directione chronicī naturam induat morbus, flagellum Medicorum fiat, aut funestus adeo exeat, qui brevi expediri cauta manuductione et feliciter potuisset. Et sic in omni consilio Medico praefideat quasi *natura Medici magistra*, de qua alias egimus.

Dicendum nunc restat quem in modum debellandi sint morbi recensiti adhuc. Generalis erit, nec ampla nimium ultima haec programmatis pars, remediorum formulas admittens nullas. Morbi nostri cum sint malae aeris temperaturae effectus et producta, in bona primum quoque auxilium quaerendum est, et invenire licet. Veterum quamvis industria atque sedulitas in corrigendo aere sit minime contemnenda, quando ignibus, suffitibus, variis irrigationibus, florū ac herbarum sparsionibus, unguentis et amuletis corrīgere aeris temperaturas studuerunt: his tamen locum heic dare minus congruum erit, cum mos sit inusitatus, nec facile adhibetur hodie justa in iis adhibendis cautio, sedulitas atque selectus. Curiosis tamen satis hac in re facere possunt HIPPOCRATES, GALENUS, PRINCIPES MEDICORUM, etc. In suffimentis tamen parcus esse non debet Medicus, ubicunque exhalationes aegrotorum erunt infringendae ac corrigendae; neque in admissione aeris purioris, in perflando quasi caute sensimque cubiculo. Praeter tamen quod corrigi universam atmosphaeram velim, summum esse in morbis, ab obstructione varia vel et ab humorum vitio obortis, ipsum aerem aperiens, resolvens, ac restaurans, ex mutatione ejus et peregrinatione e-

gra-

graviori, palustri, crasso, vel impuritatibus inquinato, in purum, levem, temperatum, quotidie intelligimus, et res est curiosorum naturae aliorum, aequa ac Medicorum experientia ac auctoritatibus quam plurimis confirmata. Respiratio, quae impedita primum fuerat, sit inde liberior, tandemque facilior; animi robur reddit et alacritas; (quid enim moestus animus valeat contra valetudinem, totalem subinde humorum diuersiam producens; quid alacris et cum voluptate, certe cum fiducia peragens omnia, in roboranda ac restituenda quae labefactata fuerat, probe heic quoque tenendum est, licet hoc aeris vi derogare nihil debeat) omnia peraguntur facilius; secretiones ac excretiones sunt liberiores; reddit ciborum desiderium; dat nox requiem, novasque dies vires. Non ibi de evidentibus particulis acidis, alcalinis, muriaticis, uliginosis, sulphureis etc. corrigendis per contrarias, aut eliminandis, fermo est, sed eodem alimentorum genere, aere modo puriori, atque exercitio, peregrinatione, et animi jucunda avocatione haec omnia peraguntur, sine ulla remediiorum aliorum, et ne diaetae quidem norma. Tota tamen idealis non est haec medendi methodus, seu imaginaria, sed oeconomiae nostrae et legibus mechanismi nostri, et si modo non praecise determinando, accommodata ac in eo fundata.

Minimis enim rebus invisibilibus ac inperceptibilibus vim inesse maximam, illustrari exemplis posset innumeris ac evidenter, e longinquo non petendis; modo quis percurrere oeconomiam animalem curiosus velit, et insistere in primis sensibus nostris internis ac externis, motibus partium ac secretionibus, universo praesertim generationis negotio. Sed alia quoque allegasse heic, mutationum exempla licebit. De peste dictum jam est; de arborum inoculatione effectus evidens quoque est, quando succus omnis e terra, radicum ope acceptus solius oculi, ab alia arbore bonae frugis sumti applicatione vertitur in fructus bonos; et quae dein arbor per aetatem omnem suam tot millena poma, bruna, cerasa, aut aliud genu

nus profert solius oculi exilissimi ministerio: quae sibi relictā, id est, sine inoculatione viles vel nullos dedisset fructus. Ex alio quidem genere, sed multo facilior intellectu est variolarum inoculatio, humano generi quam saluberrima. De venenorum quorundam vi summa aequa ac velocissima constat quoque, quando verbi gratia, a vix percepto ictu venenatae sagittae mors vulneratae sumiae insequitur quam celerrime, quae si vera narrant Indorum experimenta, averti non potest, etiam si uno eodemque momento, ac percussus in extremo articulo fuerit, artus amputetur truncō proximus. De idearum vitiis, de nausea, vertigine, terrore, ira, etc. morborum, et mortis adeo subinde causā haud infrequentī; deque affectuum effectū mirifico, solo haud raro ex idearum lusū proveniente, nemo dubitat: ita, verbi gratia, actum est subinde de vita hominis ex jucundissimo, inexspectato, ac subitaneo nuntio, quam tamen auferre vitam ne bellica quidem tormenta, integrum membris corporis extirpantia subinde possunt. Caput laesum, cerebrum, cerebellum adeo, de quo etiam exstant exempla, aliasve partes satis cardinales vi haud levi percussas saepe, legimus sine ullo vitae periculo. Eandem vitam nostram ad resistendum tot tantisque injuriis valentem, prae reliquis creaturis excellentem, quae et imperat universis terrae incolis atque productis, et coeret omnia vi vel ingenio, in nihilum subinde redactam videmus, certe graviter prostratam a solo verbo, ab imaginatione, ab ideali sensatione: cum contra tot hominum conjuncta vis atque sagacitas vix subinde sufficiat ad vitam bruti animalis unius, ceteri verbi gratia, extingendum.

Quae in aere degunt particulae, subtilissimae quoque eadem, corpori nostro inimicæ, ciborum ac potulentorum ministerio canali cibario afferuntur, et ibi vim suam exercere jam incipiunt, vel ad ipsam sanguinis massam et viscera intima delatae demum efficaces esse, vel et utrumque in modum functiones turbare. Ita diximus supra, eadem ex aeris temperatura, id est, eodem tempore vel choleram in adultis animad-

advertere licuisse, vel punctionis laterum dolores fine febre acuta, vel inflammatorias febres putridas; pueros, diarrhoea nisi adfuerit, tussi vexatos fuisse, aut cutis efflorescentiis, artuum doloribus, aut pustulis etc. Quoad itaque licebit, e primis viis eliminandus erit hostis, ne interiora subrepatur, remediis alvum purgantibus, pro natura morbi vel et aegroti feligendis. Insistendum saepius est iisdem, maxime quando viscida adeste jam faburram obseruamus; et tunc roborans et obstructions simul intimas referans feligendum erit pharmacum, quo universus canalis cibarius evanescet. Hac via saepius chronicos praecaveri morbos negandum non est, verbi gratia, phlegmatorrhagias, expectorationes ichorofas, coryzas, albos fluores, herpetes; nec non subinde acutos quoque morbos. Obsistente illa puerorum ac infantum tussis, a clangosa vix recedens, alvinis dejectionibus nec non evacuationibus per os factis multum fuerat refrenata, et eae omnibus remediis aliis, maxime vero decantatis dulcibus illis, ita dictis pectoralibus, palmam praeripuerunt. Neque infreuenter in progressa jam, et ad viscera intima delata morborum causa, evacuationibus iisdem militandum fuisse, effectus et observationes rite institutae (fine quibus quam amplissima praxis nihil suggesterit cautionis et prudentiae) satis confirmarunt. Ne vero seduli nimis simus in evacuando canali cibario, tenendum heic erit: omnes non amare hanc viam acrimonias, cum sanguine jam corpus permeantes. Sicut enim dictum est supra, certa humorum vitia certas sibi haud raro feligere partes corporis nostri, quibus infiuntur prae aliis; ita et in eliminandis iis cautione opus est; et explorandum, quibusnam secretionum viis ejici extra corpus se finant; et sic levi ducenda sunt manu et cauta, ne vi a fede sua, ubi immoxia erant, divellantur, et cardinalem partem haud raro ex transitionis lege infestent. Hoc de pustulis omnis generis valet, quae sine cura interna praegressa, nec sine comite illa, non nisi a Medicastris reprimuntur. In eo magis allaborandum est Medico, uti a partibus nobilibus removere studeat materiem peccantem, et hoc ipsum

ipsum caute, ne evitando Charybdim in Scyllam incidat. Elegans hujus rei exemplum a natura, non vi medica (utinam aequi felices essemus his in rebus, ac esse quam frequentissime solet natura, sibi relicta) productum, obtulerunt morbi nostri pectoris, ac tusses feroce, quas allegavimus supra: omnes enim pueri ac infantes, paucissimis exceptis, tussi vix per aliquot dies vexabantur, quos vel tinea, vel herpes, aliave curis efflorescentia exceptit. Nec non adultorum adeo dolores artuum scabie mitigatos, et ablatos penitus animadvertisimus his nuperis annis: unde CELSI locus * roboratur, quando dicit.
,,perniciosos esse capitum ac cervicis dolores, nisi in capite totove corpore pustulae ortae sunt.,, Denuo patet ex his, leniter mitigando ac corrigendo blandis medicamentis acrimonias, plus boni praestari, quam nimis frequenti evacuatione alvina.

Alii dictorum supra morborum aliam insuper curam exigebant. Resorbenda haud raro erat acrimonia, primis viis adhuc inhaerens; aut dissolvendus humor viscidus; vel et refrenandi caute humorum motus nimii, ad praeverendas inde inflammatorias stases. Cum contra refrenando plus justo sanguinis motum, magno cum aegrotorum periculo, salutares haud raro infringantur simul excretiones, crises, atque determinationes ad cutim, aliudve emunctorium, eliminando hosti opportunum.

Plerique vero morbi, maxime quoque ubi dolores urgabant, et sanguinis motus auctus, et haemorrhagiis patens, acutive fuerint morbi, venaectionibus primum erant tunc impugnandi, vel semel, vel et pro aegroti robore ac plethora iteratis vicibus instituenda, nec non pro spasmorum pertinacia ac nervorum excitatione alia, ad inflammatorias congestiones praecavendas; multum dein auxili erant vesicatoria, circa partes affectas applicata, vel et haec, atque inprimis quoque finapismi

* Cap. 8. L. 2.

napisini devulsionis scopo diffitis partibus imponendi: ubi
 nempe lymphae vitium suberat, uti in morbis plerisque dolo-
 rificis; aut ubicunque ex morbo acuto laborantium tempera-
 mentum aridum non fuerat, nec siccum; nimiave aegroti sen-
 sibilitas, indeque pendentia symptomata non repugnaverant.
 Eadem enim est in cura medica ratio, ac observari in actioni-
 bus nostris moralibus solet: antequam sedatus fuerit animus
 ira, vino, amore, aliove affectu turbulentus, frustranca omnis
 erit exhortatio moralis, optima quaeque, ac religiosa adeo.
 Hoc in primis quoque valet de nervorum morbis, de quibus
 dictum est supra: insistendum nempe prius esse eorum sedati-
 onis. Quod praeter pharmaca plurima succinata, camphora-
 ta, castoreata etc. praestari avenaceis, hordeaceis, lacteis quo-
 que, nisi quae singularis repugnet aegroti dispositio, solet; et in-
 primis quoque balneis lacteis, oleosis, blandisve aliis, herbis,
 floribus, et pro rei natura sapone quoque paratis. Reliquum
 curae in roborandis partibus, vi morbi debilitatis; in secreto-
 num ac excretionum justa moderatione; atque in diaeta quae-
 rendum erat, et obtineri solebat; nec non in medicamentis
 aliis; paucissimis tamen iisdem; ne praeter necessitatem nimii
 sumus in corrigenda ac educenda humorum acrimonia, ner-
 vos excitante. Siquidem accusari ea a Medicis et doctis et
 exercitatis solet ordinario, et inveniri etiam putatur: Ceterum
 in stabilienda theoria commode magis de ea praeccipitur, quam
 exequi in praxi licet. Cordi semper habendum est: naturae
 molimina occupanda non esse a Medicis, cum ignoremus haud
 raro eadem; sed ipsi linquenda quae debentur. Modice enim
 coercitis humorum motibus ac nervorum irritationibus, viam
 ipsa quaeret, si quae subest acrimonia, peccansve materia alia,
 sibi quam commodissimam, qua exeat: in quo dein coniatu
 adjuvanda benigne erit natura.


Contra vero in iis morbis, ad quos punctorii laterum
 ac artuum dolores, horumque tumores in primis sunt referen-
 di, in morbis inquam, a suppressa ac retropressa per aeris

intemperiem atque inconstantiam, transpiratione ortis, qua data porta, maxime vero per ipsum cutis emunctorum eliminanda erit tunc noxia, nimia, ac regurgitata materia. Et heic quoque evacuantibus ac expellentibus militandum erat.

In genere tamen dicendum, frequentius instituendas fuisse iis temporibus venaе sectiones; saepiusque alvum purgandam; tandemque his summo cum auxilio tonica medicamenta subjungere opus fuisse, cum in universum tardius ac difficilius redire ad sanitatem aegri solerent per aeris ac tempestatum variantem naturam.

De diarrhoeis, quae vel dictis adhuc morbis, vel et aliis alias, subvenire solebant, monendum est: hac quoque via saepius uti providam naturam ad expellendum hostem, etiam dispersum subinde per corporis partes ac pervagantem, vel huic illiue particulae infixum: unde nimium eas non esse pertinendas, ne quidem in puerperis, variolosis, neque in morbis chronicis, sed caute regendam esse semper sedulitatem in sedandis iis nostram, ne nimia fiat. Ad illum enim attendendum probe est commodum saluti nostrae partium, maxime quae excretionibus famulantur, consensum harmonicum, cuius ministerio eliminantur ordinario particulae, aut vi morbi expelluntur, quae retropressae in emunctorio uno, alterum adeunt. Inde quoque patet, cur diarrhoeis sat gravibus subinde, atque sudoribus plurimi infringantur morbi, ac tollantur, maxime qui ex acutorum genere sunt, vel tamen his proximi: illi cutis viam magis amant, hi canalis cibarii. Omne nimium nocet.

Dab, Cass. d. 20. Octobr,
1755,



Uk 529

ULB Halle
005 364 906

3






B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue



OBSERVATIONES NON NULLAE
CIRCA
MORBOS
NUPERORUM HEIC ALIQUIT ANNORUM
EPIDEMICOS
PER RECIPROCUM AERIS HUMANI ET ATMO-
SPHAERICI COMMERCIUM ILLUSTRATOS.
QUIBUS
ADITUM APERIT VOLENTIBUS AD SECTIONES
SUAS AEQUE AC DEMONSTRATIONES ANA-
TOMICAS, HUMANISSIMEQUE AD EAS
INVITAT

JOH. JACOB. HUBER

PHIL. ET MED. D. ANAT. ET CHIRURG. PROF. SERENISS. LANDGRAVII HASSIAE
CONSILIARIUS AULIC. ATQUE ARCHIATER. AULAE BAD. DURLAC.
MEDICUS. FACULT. MED. PATRIAE, QUAE BASELAE EST,
COLLEGA, ET LABORUM SOCIUS. ACAD. CAESAR.
NAT. CURIOS. ET REG LONDIN. SOCIET.
SCIENT. SODALIS.



Wh 527

CASSELLIS

TYPIS JOH. ECKH. HÜTERI, TYPOGR. AUL.